



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Micrologvs|| De Ecclesiasticis|| Observationibvs.||**

**Bernoldus <Constantiensis>**

**Antverpiæ, 1565**

14. De signis super oblationem

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63426](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63426)

*De signis super oblationem,**1 que super oblatam sunt.*

## CAP. XIII.

DE signis autem quæ super oblationem à diuersis diuersè fiunt, nos ab Apostolica sede potissimùm formam sumere decreuimus, vnde totius Christianæ religionis ordinem & originem suscepimus. Nam & illi sedi nostro tempore Deus [talem] gubernatorem, reuerendæ inquam memorix Gregorium Papam imposuit, qui sub decem suis antecessoribus, à puero Romæ nutritus & eruditus, omnes Apostolicas traditiones diligentissimè inuestigauit, inuestigatas studiosissimè in actum referre curauit. Hunc ergo doctorem religione & auctoritate præcipuum, imò Apostolicam traditionem per ipsum in considerandis mysterijs potissimùm imitari decreuimus. Sicut nos ipsi per ipsum & per Episcopos qui eum imitati sūt, accepimus, imparè numerum semper in dispensatione signorum super oblationem obseruamus, videlicet vnam crucem, vel tres, vel quinque facièdo; & hoc vtique non sine certi causa mysterij. Nā in vna & tribus, vnum & trinum Deum intimamus. In quinque autem, quinquepartitam Domini

Gregorius  
Papa 7.Signorum impar  
par numerus se  
per obseruatus.

ni passionē significamus. Merito autem impar numerus in ecclesiasticis officijs frequentatur, quia nunquam in duo æqualia vnitate impediēte diuiditur, sicut vnitas sanctę ecclesię nullatenus eam in duo secari patitur. In primis vbi dicitur, Hęc dona, hęc munera, hęc sancta sacrificia, tres tātum cruces super panem & vinum communiter facimus, nec vnquam panem à calice separamus in con-  
 signatione, nisi vbi separatim nominantur in Canone. Ita autem illa communiter signamus, vt erecta pars crucis tātum super panem, transuersa autem super calicem protendatur. Nam erecta pars crucis corpus Dominicum sustinuit; transuersa autem, ipsius brachia distendit. Vnde & calix congruē sub brachio eius collocatur, quasi de latere Dominico sanguinē Domini suscepturus. Cū dicimus, Hęc igitur oblationem, vsque ad altare inclinamur ad exemplar Christi, qui se humiliavit pro nobis vsque ad mortem crucis. Erecti autem cū dicimus, Benedictam, ascriptam, ratam, tres cruces super vtrunque simul facimus. Non enim hic sola oblata signanda est, vt quidam faciunt,

2 brachia

Inclinatio vsque ad altare.

nt, sed vtrunque signatur in oblatione. Nam sequitur, vt nobis fiat corpus & sanguis, subauditur, hæc oblatio. Et hoc cum dicitur, quarta crux super panem & quinta super calicem separatim imponitur. Congruè autem prius tres tantum cruces super vtrunque fecimus, licet quinque voces ad signa faciendæ æquipollentes haberemus, id est, Benedictam, ascriptam, ratam, rationabilem, acceptabilem, videlicet vt quinarium non excederemus, & quintam crucem super calicem, quinti quasi vulneris Indicem, unde sanguis profluxit, competenter faceremur.

sed vtrunque  
quia vtrunque  
significatur in  
oblatione.

*De acceptione oblationis in manus,*

CAP. XV.

DEINDE panis in manus accipitur, & antequam reponatur in altare, benedicitur; Item & calix eleuatus ante depositionem benedicitur. Nam & Dominus in Euangelio vtrunque legitur benedixisse antequam dimitteret è manibus. Matth. 26. Accepta enim in manibus benedixit, postea discipulis dedit. Item, vbi dicitur, Hostiam puram, hostiam sanctam, hostiam immacul-

C 4 cula-